BELLARIA

SUPER MENSAS DEBELLATORIS LITVANIÆ ALEXANDRI VITOLDI

Triginta millibus Capitum ad internecionem uno Marte Deletis instructissima, ad pocula Bacchi.

â Perillustri Prænobili, ac Magnifica Juventute Collegij Pinscensis Soc: JESU famelico Spectatoris oculo in opsonium exhibita, *ANNO* 1717. *Die*

ARGUMENTUM.

Magister Equitum Conradus Juningen cum alijs Principibus, qui spe augendi sui Nominis in id confluxerant, convivio non ad militarem frugalitatem sed urbanas delicias instructo, quod quinque horas tenuit, ac quingentis Marcarũ millibus constitit, ubi vasa aurea argentea & utensilia convivi cedebant, quasi tot impensis ad lanienam saginatis, triginta millibus casus à VITOLDO cui à baptismo inditum erat Nomen ALEXANDRI. Koialovvicz in Hist: Litv:

PROLOGUS.

Super ferrea Pramislai Mensa series rei gerendæ innuitur.

Interludium.

ACTVS PRIMVS.

Scena 1ma. Vitoldus ab immediato conflictu redux, non inglorio Martis pulvere sordidus, ovans de triumphato hoste, bellicas injurias vindicaturus, â Carchesio plebeiæ aliàs conditionis homine & olim inter captivos in manubiis reperto, sed charo jam ob fidelitatẽ eximiam, poculum non frigidâ modo sed & arte magica plenum, (cujus auctor peritissimus erat) sumit, iam iamq; expleturus, revocata in memoriam Dominica siti submovet labris, & planè Heroico Marte, qualiter aliàs sternere solitus fuerat hosticum, in conspectu omnium effundit, bellicam suam fortunam in ulterioribus Domino commendans.

A *Scena*

Scena 2da. De cratere vacuo spectat prosilire literas, illum complentes sensum, *plenum cruore Macedo novus bibet, at Morte potus concidet brevi miser*, & ubi intimius idem trutinatur, subito effluit de vagina gladius, quem porrecturus Carchesius leviter tangens, sævissimum brevi futurum prædicit bellum.

Scena 3tia. Adest funesta legatio, duobus submissis mucronibus, locum & tempus designans conflictui, verùm, licet ad inspe-rata, nihil turbata mente, relegatis legatis, conscribuntur legiones quibus universim præficitur Carchesius; aliqvot solùm cohortes ad latus proprium cum Luitprando manere jubentur.

Scena 4ta. Carchesius exploraturus dubiam belli aleam, subintrat loca suæ professioni sacra, ubi acherontē movet, orcum evocat, furias appellat; scitatur fata, de prærupto antro veluti averni faucibus teterrima prorumpunt spectra, infernales prosiliunt larvæ, aspectu horridæ lugubrem succensæ stivam, exponunt feralem sandapilam, disponunt loculos, ad extremū bubòniâ funestiore terrentes voce *Imbelle bellum, bellicum sternet ducem*, male ominosum sibi, fugam arripere cogunt.

Scena 5ta. Transfuga, sibi iam potiùs quàm aliis consulturus, incidens in obvium Luitprandum, utpote primum â consilijs Vitoldi, seriò hortatur, revocandum omino aut deterrendum â præcogitato prælio etiam jacturâ provinciarum, de quibus lis intentatur, fatale enim certo certius exitu futurum enarrat, Luitprando tam obstinatiorem ad bella, quam ferocem Vitoldi animum reponente; uterque conspirat in perfidiam.

Scena 6ta. Dimisso Luitprando cum scyphis maturaturo reditum, iterum â Carchesio solicitatur orcus, quibus Conradi & Principum aucupentur gratias, ter allatis poculis, extemplo advolat genius infernalis atq; ex ordine dispositis hæc inarari imperat. 1mo. *Feliciter plaudent.* 2do. in modum tubæ efformato *ad tubam factus.* 3tio. *ad Martem*, 4to. *Martis munus*, 5to. *ad lætum promptior*, 6to. *si Carchesium non lædas*, 7timo. *est Martis herus.*

Scena 7tima. Tristiorem mentem ijsdem Baccho levantibus, de procuranda incisione sermone inito, quam clandestinè fieri optarent, antiqvus præstigiator advenam è longinquis ementitus, sculptoriam artem profitetur, conducitur libenter, mercedem exquirens, vano scripto deludendum (quemadmodum didicerant imperitum esse notarum,) contractum in animam & corpus reportat, tempore solutionis quasi nunquam futuro præfixo: *cùm fundum inquit cælum tonabit.*

CHORUS.

CHORUS.
Interludium.

ACTUS SECUNDUS.

Scena 1ma. Magister Equitum Conradus Juningen, proprio stipatus milite, inter classicos Martis fragores locum pugnæ lustraturus subintrat, ob fatalem equi casum, suumq; ex eodem non leviorem lapsum, nil inde sinistrum suspicatus, simili illi Cæsaris voce teneo te Africa, præsumptuoso satis occupandæ ditionis sibi applaudit omine, teneo te Litvania.

Scena 2da. Senaria Principum Majestas suos deducit exercitus, destinatur pugnæ campus, disponuntur ex ordine acies, ab evulso turmatis pedibus cranio vox allabitur omnium auribus: *hac terra sedem Principes vobis dabit.*

Scena 3tia. A multo tempore simulata epistola Vrbani VII. (de qua idem auctor) qua prædictus Magister, finitima cum Litvania, pacem colere jubebatur, è sinu evolvitur, legitur, trutinatur, tandemq; coguntur Principes reclamare prælio, sacrosanctè monitis summi Capitis parere cupientes, sed impius lucri furor largissima promissa, ex æqvo divisio possidendarum provinciarum futura, retrocedentes Phalangas sistere jubet.

Scena 4ta. Adest Carchesius per inter nuncios hinc & inde continuo fluitantes non modicâ auri copiâ submisâ corruptum militem significans, ipse verò fidelitatis ergo affabre factos offert eidem scyphos, qvare gratissimè suscipitur.

Scena 5ta. Premens vestigia Luitprandus Carchesij aulam subintrat, excipitur ab utroq; fidelitatis sponsio, & tanqvam iam bello perfecto, triumpho reportato, regnorum pretio redemptæ cænæ apparantur

Scena 6ta. Per submissos speculatores de omnibus certior factus Vitoldus, cùm adeo exigva militis fidelioris comparet manu, effusus in amarissima suspiria, rebus pene desperatis, allabitur aræ ejus Dominæ, qvæ Castrorum acies dicitur ordinata, specialis devotio injungitur universis ad iconem Deiparæ non ita pridem a Sigismundo Cæsare submissam muneris loco, post fusas demum preces, universi in latebras se recipiunt in omnem intenti occasionem ex speculis.

CHORUS.
Interludium.

ACTUS TERTIUS.

Scena 1ma. Accumbunt Lecti principes ex ordine lautissimè instructis epulis, ad certamen poculorum adhibentur qviq; nobiliores, ac præcipui militem professi, distribuuntur scyphi, sparguntur munera, sonat triumphale carmen, aula lætior cum epotis calicibus saltum init.

Scena 2da. Fervente Baccho, cùm nihil tale minùs timetur, super omnium capita sudum gravissimè detonat Cœlum, apparet manus polos inambulans, experrectis digitis, hunc & illum indigitans, qvasi locum in unoqvoq; vindictæ DEI signans, aut fatis destinata supremis recensens capita, vel exprobrans suum cuiq; scelus; deferbuit extunc lætitia, miscentur medys gaudia luctibus, turbantur singuli, pallent, tremunt, trepidant, ipso metu exanimatis convivis.

Scena 3tia. Vitoldus ex improviso, cum milite suo bene ordinato, consternatos aggreditur; moxq; irrumpunt Infernalia spectra horrore, & sqvallore enormissima, discurrunt, inclamant, palabundos investigant, fugientes inseqvuntur, captis insultant, contorqvent, applaudunt, irrident, tractant, genuinum superscriptionum enodantia sensum *Feliciter plaudent*, singulisq; factis explicationis seriem adycientia.

Scena 4ta. Carchesius & Luitprandus sponsionis rei, inter planctus & ejulatum raptantur, ac ad inferna asportantur, evolviturq; illud: *Imbelle bellum bellicum &c.*

Scena 5ta. Alÿs Principibus metu pene exanimatis solus superstes Iuningen tot fatis territus, sibi ereptus timore, in furias agitur, & jam vivus collo tenus sorbetur terrâ, cæteris absq; ulla luctâ in præceps lapsis: qvibus illa enodantur: *Hæc terra sedem.* Innotescit qvoq; qvid sibi vellet manus indigitans, qvid lapsus ex eqvo ominaretur.

Scena 6ta. Vitoldus cæso triginta millium milite gestiens, explicato illo: *Plenum cruore &c.* Divæ Virgini persolvens gratias, super prostrata capita pium triumphum agens, deducere jubet in cantico Divam Virginem.

EPILOGUS.

Doctrinaliter seriem rei proseqvitur, qvantùm cavendum sit ab insolitis ac immoderatis compotationibus.

Ad

M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. H. OO. SS. Cultum & Venerationem.